



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia  
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte  
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibvs, Qvæ Religiosvm Constitvnt, vel ad illum disponunt

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1625**

IV. Quænam personæ inhabiles sint ad religionis ingressum, &  
receptionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

gionum, nec religiones ipsa sine magno dispendio, labore, & distractione, ac impedimento circa alias actiones ipsi magis proprias ac necessarias in his pueris enutriendis ac educandis, occupari possunt.

9. Sant vero aliae religiones quae monasticam vitam magis a consortio hominum separatam profitentur, & circa seipsas (vt sic dicam) id est, circa custodiam, instructionem, & exercitationem suorum religiosorum tantum occupantur; & in his facilius esse poterat expediens etiam ipsis religionibus, huiusmodi paucos recipere, & educare: & ita de illis praecipue loquuntur Basilus, & Benedictus superius citati, quorum temporibus potuit hoc esse magis expediens, tum quia magis vigeat monachalis disciplina, tum etiam, quia tunc religiones illae ferè solum constabant ex laicis hominibus, qui nec in studiis diuinarum literarum, neque in actionibus circa proximos occupabantur; sed solum in labore manuum, & in diuinis laudibus, & orationibus: & ideo facilius poterant in educandis his pueris occupari, eosque ex laboribus manuum suarum alere. Iam vero in illis religionibus magna mutatio facta est tam in viuendi modo, quam in rigore disciplinae, & ideo in praesenti tempore fortasse illis non expedit hos pueros in religionem admittere, & ita id ferè iam non est in usu. Quod si alicubi specialis aliqua ratio interuenit quae in bonum totius religionis redundet, quia vel fortasse non possit aliter commodè conseruari, vel quia experimento comprobatur est nullum detrimentum inde religioni pronenire, quo sublato statim cessat ratio cur dicamus hoc non expedire religioni; quia opus ipsum religiose educandi hos pueros, per se charitatis est, vt Basilus recte dicit; & si aliunde maiora incommoda non sequantur, ista via poterit facilius conseruari religio. Quia vero (vt dixi) regulariter loquendo incommoda sunt maiora, ideo loquendo etiam moraliter, & regulariter absolute id non expedit religioni.

10. Vltimò vero potest circa hoc obseruari, non constare ex antiquis Patribus, quos attulimus, an hi pueri, qui olim in religionibus recipiebantur, sub habitu religioso admitterentur. Nam Basilus, licet expresse dicat eos non continuò ad reliquum fratrum corpus fuisse aggregandos, sed eis fuisse seorsim locum assignandum in quo habitarent, & victus rationem quam tenerent: de habitu nihil dicit; neque etiam Benedictus. Bernardus autem in dicta epistola refert Rupertum illum postquam oblatas fuit à parentibus, in seculari habitu permanisse. Sunt etiam in iure aliqua decreta, quae prohibent alicui dari habitum religionis, nisi per aliquot annos prius in religione educetur, quae infra connumerabimus. Quod si hoc ita esset, facilius possent vitari incommoda quae ex huiusmodi puerorum receptione sequi solent; quamuis illud etiam ipsum non possit non esse religioni onerosum. Ego vero existimo Basilium & Benedictum planè loqui de receptione ad habitum religiosum, nam hoc magis indicant eorum verba, & si quae nunc manent vestigia illius antiqui vsus, hoc etiam comprobant. Bernardus autem loquitur in quodam casu, in quo, licet ex parte parentum facta fuisset oblatio, non tamen realis traditio, & consequenter neque ex parte religionis interuenerat actualis receptio, quam nos dicimus semper fuisse ad habitum religiosum; illa vero iura longè alium sensum habent, vt infra dicam, illud enim non erat tempus educationis, sed probationis. Vnde potius existimo in his pueris, qui in tenera aetate recipiebantur, non fuisse necessarium, vt ibidem tractabitur.

Non constare, an si pueri educationis loco sub habitu religioso recipiantur.

Quenam persona inhabiles sint ad religionis ingressum & receptionem.

1. Quoniam generaliter de statu religioso loquimur, qui & viris & feminis communis est, supponere oportet praesentem doctrinam vnicuique sexui cum proportionem esse applicandam, nam vterque sexus ad religionem habilis est, sed cum proportionem accommoda. Nam viri ad religiones pro viris institutas; feminae vero ad suas habiles sunt; commutata vero ratione, femina est persona inhabilis ad religionis ingressum in religione virorum; & e contra viri ad religionem femininarum. Quia id non solum esset contra institutionem, & finem talium religionum, sed etiam contra bonos mores. Deinde supponendum est, quamcumque personam per se ac seclusis impedimentis, esse habitam ad ingressum religionis; quia quilibet homo per se est capax perfectionis Christianae, ad quam religio tendit, vnde consilia perfectionis ex se pro omnibus dantur. Solum ergo superest, vt explicemus, an possint esse aliqua impedimenta quae personam reddant inhabilem ad huiusmodi ingressum, & quae nam illa sint. Duplicia autem impedimenta intelligi possunt, quaedam ex naturae, secluso specialiter iure positio, alia per solum humanam constitutionem introducta. Prima oritur ex naturali defectu, qualis est, v.g. amentia, vel si quod est aliud simile, illius existentia naturaliter impedit. Vnde fit, vt haec impedimenta aliquando simpliciter reddere possint personam inhabilem, aliquando vero solum sub hac vel illa conditione. Aedentique interdum possunt impedire ingressum ne licite fiat, non vero vt validus non sit. Dicitur autem iuxta huius materiae capacitatem ingressus validus, in quo fundari potest verus novitatus, ac tandem vera professio; ille autem dicitur invalidus, qui sufficiens non est, vt ab illo possit annus novitatus numerari: nam cum hic ingressus solum in facto videatur consistere, & alios effectus morales non habeat, non potest eius valor aut nullitas in alio consistere.

Femina est inhabilis ad ingressum in religione virorum, & vice versa.

Duplicia sunt impedimenta, quaedam ex naturae, secluso specialiter iure positio, alia per solum humanam constitutionem introducta.

2. Dico ergo primò nonnulla esse impedimenta, quae reddunt personam inhabilem ad ingressum religionis. Haec assertio in generali probari potest ex hoc principio, quòd persona inhabilis ad professionem, est etiam inhabilis ad religionis ingressum, seu habitum suscipiendum, quando conditio inhabilitans perpetua est; quia cum ingressus ad professionem ordinetur tanquam via ad terminum, qui est incapax termini, erit etiam incapax viae. Item quia ingressus est ad probationem, tam ex parte futuri religiosi, quam religionis; persona autem inhabilis ad religionem, non est capax probationis: ergo nec receptionis validae ad religionem. Sunt autem aliqua impedimenta quae reddunt hominem simpliciter inhabilem ad professionem, vt postea videbimus. Melius autem declarabitur, & probabitur haec assertio, ostendendo in particulari huiusmodi impedimenta.

Primum impedimentum est carentia vsus rationis.

3. Primum ergo impedimentum reddens personam inhabilem ad ingressum religionis, est carentia vsus rationis si perpetua sit. De illa enim quae est per solum defectum aetatis, iam supra diximus, non impedire illum ingressum, qui esse potest ad educationem tantum, quam quam etiam impedit ingressum ad proprium novitatum, quia hoc incipere non potest vsque ad annum pubertatis proximum, vt dixi. Aliquando vero contingit hic defectus etiam post aetatem

mentem sufficientem ex corporis lesione, que amentem, aut stolidum hominem reddit. Hoc autem impedimentum temporale esse potest, & tunc non simpliciter facit hominem inhabilem ad hunc ingressum, sed solum pro eo tempore, pro quo talis carentia durat, iuxta cap. *sicut tenor*, de Regularibus. Quoties si amentis, vel quacunque alia ratione extra seposita, ut textus ille loquitur, in religione admittatur, aut habitu religionis induatur, receptio nullius momenti est in ordine ad nouitiatum inchoandum, vel professionem postea faciendam. Ratio quare ex illo textu colligitur est, quia in eo statu non potest homo consentire religioni. Videtur autem textus ille precipue loqui de professione, per quam homo obligatur; & obligari non potest sine proprio consensu. Est tamen eadem ratio de ingressu ad nouitiatum, quia licet per illum homo non obligetur, incipit tamen probari, & probari in ordine ad obligationem prestandam, & ideo proprium etiam consensum requirit. Probatio item sine usu rationis esse non potest, sit enim per experientiam quare rationis actus est. Ex quo colligitur, quod licet aliquis sit receptus tempore amentia, postea consentiat statim, ac redirat se, nihilominus prior receptio computanda non sit, sed ex tunc incipere debet ex quo consentit, quia prius erat persona inhabilis. Secundo obiter infero, si quis receptus sit legitime, & postea durante nouitiatu in amentiam incidat, & in ea pro aliquo notabili tempore durat, prioris receptionem irritam reddit, quia pro eo tempore, pro quo amentia durauerit, persona inhabilis ad probationem facta est: de quo puncto latius dicetur inferius.

Vltimo inferitur, quod principaliter intentum est, eum qui perpetua amentia laborat, esse inhabilem in religione suscipiatur, quia ille est prorsus ineptus ad professionem: ergo & ad propriam receptionem, quae ad illam ordinatur. Vnde licet contingat aliquem sic amentem indui habitu religionis, & per multos annos cum religiosis habitare, & postea etiam per miraculum ad sanam mentem redire, non potest ratione totius praeteriti temporis professionem facere, aut nouitius reputari, etiam si ratam habere vellet primam receptionem: quamuis oppositum dixerit Hostiensis, & multi eum sequantur, ut Angelus supra refert, quibus ipse merito contradicit, quia quod a principio nullum fuit, non potest tractu temporis firmari, ut habet regula, *Non firmatur*, de Regularibus in 6. ergo nec per subsequentem voluntatem potest ita ratum haberi, ut incipiat esse validum ab eo tempore pro quo nullum fuit: maxime cum alia Regula iuris habeat, ratum haberi non posse, quod alicuius nomine non est gestum, & manifestum sit receptionem hominis perpetuo amentis non potuisse ipsius nomine fieri. Ad do denique actum illud exinterea repugnantia, & incapacitate personae esse nullum, & ideo nullo modo fieri posse, ut in eo fundetur verus nouitiatu, seu probatio religionis, in quo solo fere consistit, quod sit valida receptio. Opinio autem Hostiensis poterat olim procedere non quoad hoc quod talis receptio fieret valida per subsequentem consensum, id enim esset impossibile, ut probatum est, sed quoad hoc ut possit quis renuntiare iuri suo, & esse contentus illo ingressu, & nouitiatu in illo fundato, ac si vera essent, quod potius esset sine nouitiatu profiteri, quod tunc fieri poterat, renuntiatum, ut dixi, proprio iuri. Nunc vero etiam hoc locum non habet, ut infra dicemus.

*Secundum impedimentum matrimonii consummati.*

*Secundum impedimentum est vinculum matrimonii. Si uero de statu relig. tom. 3.*

monii consummati, quod non simpliciter facit inhabilem ad hunc ingressum, sed sub conditione, nisi alter coniux iuri suo renuntiet, & licentiam praebeat: nam alius si ingressus vnus coniugis fiat ex consensu alterius, validus est, cum etiam professio postea sit valida, ut infra videbimus, & ob contrariam rationem quandiu consensus non interuenit, persona est inhabilis. Cuius etiam argumentum est, quia illa receptio est directe repugnans cum usu matrimonii, quem alter coniux licite potest exigere: ergo continet manifestam iniuriam: ergo ex natura rei est nulla. Denique alter coniux potest ita alium reuocare, & cogere ad egressum: ergo signum est ingressum illum nullum omnino fuisse. Consonant denique huic sententiae cap. *ex parte*, cap. *ex publico*, cap. *verum*, & cap. *placet*, de conuers. coniugat. & cap. *Agathosa*. 27. quaestione 2. Atque ita sentit Angel. verb. *Religio*. num. 14. adiuncto num. 16. & quae dicit verbo *Matrimonium*. 4. & Syluest. verbo *Matrimonium*. 2. num. 12. Verum est hos authores, & alios communiter in hac materia praecipue loqui de illo ingressu, qui est per professionem, ut videre etiam licet in Innocentio, Panormit. Calderino, & aliis super dicta iura, & in cap. quidam, & cap. *consuluis*, eod. tit. & ideo de hoc primo ingressu, non est assertio ita cepta, ut statim dicam.

Dubitari enim potest in primis circa priorem partem, an postquam alter coniux dedit alteri facultatem ingrediendi religionem, possit illam reuocare, ante professionem. (quid n. post factam professionem possit, infra dicemus.) Videtur autem non posse, quia supra ostensum est, si pater det filio impuberi facultatem ingrediendi religionem, non posse illam reuocare, etiam ante professionem: ergo nec maritus, v. g. poterit reuocare talem facultatem datam vxori, praesertim postquam illa ingressa est religionem. Et confirmatur, quia alius aequae posset maritus reuocare vxorem a religione, quam de eius licentia suscepit, quam si absque tali facultate ingressa fuisset. Consequens est falsum, alioqui talis ingressus inualidus fuisset, & nullius momenti, ut supra argumentabamur.

Nihilominus dicendum est posse coniugem illam licentiam reuocare. Quod sumi potest ex Richardo, Soto, & aliis supra, disputando de votis simplicibus coniugum. Nam fere omnes fatentur posse maritum reuocare licentiam datam vxori ad uendum si eam praeniat, priusquam votum emitat, quia nondum orta est obligatio ad Deum ex parte eius, cui data est licentia, nec qui illam dedit, statim se priuauit dominio suo, ut illam reuocare non possit. Quare ratio tota in praesenti locum habet. Et confirmatur ac declaratur in hunc modum: nam is coniux qui ingressus est religionem, potest sua sponte exire ante professionem, & ad alterum redire, qui tenetur eum recipere, & maritalem vitam cum illo agere: ergo & ipse potest alterum reuocare, & ipse patere tenetur; debent enim esse iurapatia, & vterque intelligi debet esse pro eo anno quasi in probatione, an sibi expediat perpetuo ab alio separari.

Quocirca non est similis ratio de patre offerente filium impuberem, quia ille quandam donationem facit, & suo iuri absolute cedit, coniux vero solum dat licentiam ad probandum, & tacite sibi ius similis probationis reseruat. Vnde etiam si vterque coniux ex mutua facultate religionem ingrediatur, si vnus non perseuerat, potest alterum reuocare, quia vterque censetur probare cum dependentia ab alio. Vnde est etiam aliud discrimen, quia pater quando offert filium impuberem, non proprie & immediate offert filium ad probationem, haec enim non

*Matrimonium consummatum, nisi alius coniux consentiat, in habitu ad ingressum religionis.*

*6. Dubium est, an coniux possit reuocare licentiam datam alteri coniugi, ut religionem ingrediatur, etiam postquam est ingressus. Prima opinio negat.*

*7. Secunda sententia, & iura affirmat, posse reuocare.*

*Si uero quis coniux religionem in-*



gradatur, et alter non perseverat, potest alium a religione nocere.

incipit donec filius propria voluntate vult ingredi, aut manere ibi ad experiendam religionem, quod necessario iam esse debet post adultam aetatem, & ideo illa est absoluta oblatio ad educationem filij religiosam pro tempore impubertatis, ideoque non pendet ex probatione; nec perseverantia filij pendet amplius ex voluntate patris, sed filij tantum, quod in coniugibus secus est, vt declaravi. Et ideo ad confirmationem concedo sequelam: nec propterea sequitur ingressum illum esse inualidum, aut nullius momenti; quia est sufficiens fundamentum vere probationis, seu nouitatus; ita vt perseverantia vtroque coniuge in eadem voluntate, & concurrentibus aliis necessariis legitima professio possit in eo fundari. Quantum vero hinc enervetur quaedam ratio facta pro assertione, statim dicam.

9. Dubium secundum, est an ingressus religionis a principio factus sine licentia alterius, postea confirmari, & ratum haberi per superuenientem consensum illius. Videtur enim non posse, quia, vt supra dicebamus, quod a principio inualidum est, non potest tractu temporis confirmari; nec potest quis ratum habere quod suo nomine non est gestum; sed ille ingressus a principio fuit inualidus, & omnino sine autoritate, aut consensu alterius coniugis factus; ergo. In contrarium autem est, quia nullo iure aut ratione probatur sufficienter illum ingressum ita fuisse inualidum, vt non possit superueniente consensu coniugis sufficere ad probationem validam faciendam. Nam iura, vt infra videbimus, solum irritant professionem factam ab vno coniuge sine licentia alterius; de primo vero ingressu nihil speciale statuunt; ex vi autem illius decisionis ad summum sequitur ingressum non posse habere effectum stante illo impedimento, non vero quod illo sublato non possit. Itaque si vxor sine licentia mariti monasterium ingrederetur, & per sex menses in nouitatu maneret coniuge invito, a quo tandem licentiam obtineret, permanenti simpliciter, & profitendi, non oportet nouum annum nouitatus inchoare, sed post annum expletum, a primo ingressu possit profiteri; quia tibi interueniunt ad professionem omnium que iura requirunt, & non est imponendum maius onus sine iure, vel euidenti ratione: ergo primus ingressus validus efficitur, quandoque ante professionem consensus coniugis obtineatur. Confirmatur primo, nam si vxor bona fide ingressa esset religionem, putans maritum esse mortuum, & postea illum viuere constaret, eiusque consensus obtineretur, non oportet nouum nouitatum inchoare, sed completo anno post primum ingressum possit professionem emitte: ergo idem est etiam si a principio mala fide, & peccando ingressa fuisset. Pater consequentia, quia quod peccatum per iniustitiam interueniat, non impedit valorem actus, nisi aliquo speciali iure id explicetur. Deinde confirmatur, nam si vxor ingressa sit religionem viro invito, & nouitatum in ea faciat, & contingat maritum mori; potest statim post annum a primo ingressu professionem emitte, quia iam est sublatum impedimentum: ergo signum est primum ingressum non fuisse prorsus inualidum, sed solum dependentem ab alio coniuge: ergo quoties ille consentiat, validus esse incipiet, quia tollitur impedimentum.

10. Resolutio vera. Talis ingressus potest ratum haberi, nec fuit abjolu

Secundo dubitari potest in hoc puncto an possit huiusmodi ingressus vnus coniugis a principio factus sine licentia alterius, postea confirmari, & ratum haberi per superuenientem consensum illius. Videtur enim non posse, quia, vt supra dicebamus, quod a principio inualidum est, non potest tractu temporis confirmari; nec potest quis ratum habere quod suo nomine non est gestum; sed ille ingressus a principio fuit inualidus, & omnino sine autoritate, aut consensu alterius coniugis factus; ergo. In contrarium autem est, quia nullo iure aut ratione probatur sufficienter illum ingressum ita fuisse inualidum, vt non possit superueniente consensu coniugis sufficere ad probationem validam faciendam. Nam iura, vt infra videbimus, solum irritant professionem factam ab vno coniuge sine licentia alterius; de primo vero ingressu nihil speciale statuunt; ex vi autem illius decisionis ad summum sequitur ingressum non posse habere effectum stante illo impedimento, non vero quod illo sublato non possit. Itaque si vxor sine licentia mariti monasterium ingrederetur, & per sex menses in nouitatu maneret coniuge invito, a quo tandem licentiam obtineret, permanenti simpliciter, & profitendi, non oportet nouum annum nouitatus inchoare, sed post annum expletum, a primo ingressu possit profiteri; quia tibi interueniunt ad professionem omnium que iura requirunt, & non est imponendum maius onus sine iure, vel euidenti ratione: ergo primus ingressus validus efficitur, quandoque ante professionem consensus coniugis obtineatur. Confirmatur primo, nam si vxor bona fide ingressa esset religionem, putans maritum esse mortuum, & postea illum viuere constaret, eiusque consensus obtineretur, non oportet nouum nouitatum inchoare, sed completo anno post primum ingressum possit professionem emitte: ergo idem est etiam si a principio mala fide, & peccando ingressa fuisset. Pater consequentia, quia quod peccatum per iniustitiam interueniat, non impedit valorem actus, nisi aliquo speciali iure id explicetur. Deinde confirmatur, nam si vxor ingressa sit religionem viro invito, & nouitatum in ea faciat, & contingat maritum mori; potest statim post annum a primo ingressu professionem emitte, quia iam est sublatum impedimentum: ergo signum est primum ingressum non fuisse prorsus inualidum, sed solum dependentem ab alio coniuge: ergo quoties ille consentiat, validus esse incipiet, quia tollitur impedimentum.

pedimentum ex parte alterius coniugis sublatum esse. Quam resolutionem postea apud Saucium reperiri lib. 7. de Matr. disp. 37. vbi multa circa hanc materiam generatim, & speciatim disputat in. 4. 6. v. q. ad 70. Eandem docere videtur Azor tom. 1. lib. 12. inst. mor. cap. 1. quest. 6. §. si quaeres. Vbi professionem coniugis absque alterius licentia factam, dicit statim ac alter moritur ratificari. Expressius tenet Lessius lib. 2. cap. 41. dubit. 17. num. 66. & 67. Probatur, quia si ex natura rei consideretur, ibi interueniunt ea quae ad eam probationem & experientiam religionis sufficiunt: nec interuenit sufficiens consensus ex vtraque parte, id est, religionis, & futuri religiosi; interuenit etiam humanum experimentum ex vtraque etiam parte: ergo ex natura rei illud sufficit ad veram probationem, & consequenter ad verum ingressum in quo illa fundari possit; & in hoc est magna differentia inter hoc impedimentum & praecedens: nam praecedens tollit consensum & experimentum humanum, & ideo facit nullitatem absolutam, & irreparabilem per se & naturam suam, quod in presenti non ita est. Ex iure autem positio nulla est lex specialiter irritans hoc factum, nec irritatio professionis sufficit, si ante illam impedimentum tollatur, vt explicui. Et ideo iura (quod maxime observare licet in quodam motu proprio Sixti V. de illegitimis) quando volunt receptionem indebitam esse ita inualidam, vt licet postea defectus emendantur, vel impedimenta tollantur, ad irritatum non referuntur, vel professionem non deseruiat, non tantum professionem, sed ipsam etiam receptionem specialiter annullant, quia nimirum sola irritatio professionis non sufficit ad annullandam absolute receptionem, etiam si fiat illicita, & cum impedimento irritante professionem. Atque haec doctrina notanda est pro aliis impedimentis statim tractandis, quibus etiam tanquam variis exemplis res ipsa magis declaratur.

Ad rationem ergo dubitandi responderetur non esse eandem rationem de hoc, & de superiori impedimento, vt dictum est. Vnde distingui potest dupliciter posse ingressum hunc esse inualidum. Primo simpliciter, & absolute, & de hoc verum est non posse postea valorem habere. Alio modo potest esse inualidus non simpliciter, sed sub conditione, nisi tale impedimentum auferatur, qui proinde etiam potest dici validus sub contraria conditione, si tale impedimentum auferatur. Hoc ergo tantum modo dici potest inualidus ingressus vnus coniugis sine consensu alterius, & ideo superueniente consensu potest fieri validus, quia tollitur conditio quae repugnabat. Dices, hoc reuera non est esse inualidum, sed tantum esse prohibendum, vel iniuriam factam. Respondeatur hoc solum spectare ad modum loquendi, nec multum esse contendendum cum eo, qui ita loqueretur. Quia vero impedimentum ad ingressum aliquando tale est, vt etiam si non auferatur, sed duret vsque ad professionem, sufficit vt receptio, licet male facta, fundet verum nouitatum, veramque professionem, ideo hoc dici solet impedimentum solum prohibens, aliud vero etiam inualidans aliquo modo, vt explicatum est. Vnde necessario fit, rationes factas ad probandum hoc impedimentum, non probare illud annullare absolute ingressum, sed solum sub praedicta conditione, & ita hoc tantum inferitur in speciali ratione. Prima vero confirmatio neutrius satis probat, nam potest esse actio valida, etiam si sit iniuria, imò & professio coniugis, vt infra dicam, si iniuria coniugis non consentientis, solumque suspensa maneret quoad effectum, quae sine iniuria coniugis habere non possit. Ita ergo secundo iure positio ille primus ingressus cum iniuria

id inu. di. a. prim. cap. Notandum quod impedimentum ann. illam professionem, non ann. nouitatum, sed iam irritat. Ita specialiter expressum.

in iura coniugis ex natura rei est iniquus, & nunquam potest sufficere, vt ratione illius fiat licite nouitatus, aut professio durante impedimento: nihilominus ex se non inualidat actum. Altera verò confirmatio ad summum inferi inualiditatem quandiu non tollitur impedimentum, quod à principio, & in ipso ingressu exitisse supponitur: nec iura ibi adducta aliud probant, vt declarauimus.

Tertium impedimentum professionis facta in alia religione.

Tertium impedimentum esse potest vinculum professionis facte in alia religione. Sicut enim vinculum matrimonij carnalis impedit vinculum professionis spiritualis, & consequenter etiam impedit ingressum qui ad illum ordinatur; ita etiam spirituale vinculum professionis in religione aliqua impedit ingressum & receptionem in alia, quia directe repugnat traditioni, quae per priorem professionem facta est. Hoc verò impedimentum attingit materiam de transitu ab vna religione ad aliam, quae postea ex professo tractanda est; & ideo hic solum dicimus limitandum in primis esse hoc impedimentum ad eam religionem, ad quam transire non licet, vel ex natura rei, vt quando religio, ad quam fit transitus, laxior est, vel ex speciali Pontificis declaratione ac prohibitione irritantis posteriore professione: tunc enim consequenter etiam impeditur posterior ingressus. At verò si transitus nec per se malus est, nec prohibitus, ingressus etiam in posteriori religione & validus erit & licite: imò licet contingat esse illicitum non ex substantia, sed ex modo: vt, v.g. quia sine licentia petita discessit, validus nihilominus erit ingressus, nisi aliquo expresso iure humano irritus fiat, quod iure communi non inuenitur, vt est communior sententia, quam infra tractabo. Ac denique quoties professio facta in secunda religione valida est, non obstante culpa in modo transitus, non potest ingressus inualidus iudicari, etiam si fuerit peccaminosus.

Addendum praeterea est etiam in eo casu, in quo professio valida ex vitalis ingressus fieri non potest nulla facultate concessa à priori religione, ingressum seu receptionem ipsam non esse absolute & simpliciter nullam, sed quandiu talis facultas non concedatur, eadem proportionem & rationem, qua de vinculo matrimonij id declaratum est. Quocirca (quod in praxi notandum est) si aliquis religiosus sine debita facultate habitum alterius religionis suscipiat, in qua licet nouitatum integrum expleat, in eo statu validam professionem facere non potest, si tamen in discursu anni facultatem obtineat ab alia religione, vel ab eo, qui illam dare potest, & consequenter habilis fiat ad professionem, eo ipso prior ingressus incipiet valere ad eandem professionem, ita vt nouitatus à die ingressus, & non tantum à die facultatis obtentae computari possit, ac debeat, quia inhabilitas illa non erat absoluta & intrinseca, vt sic dicam, sed solum ex defectu facultatis, quo defectu non obstante in ipso facto ingressus & receptionis intertulerat sufficiens consensus ex vtraque parte (supponimus enim nullam interuenisse deceptionem.) Deinde nouitatus ipse fieri etiam poterat cum sufficienti probatione, & experientia ex vtraque parte, & hoc solum esse poterant ex natura rei necessaria ad valorem actus; ideo quae nullo existente iure humano dicitur irritante receptionem ipsam, vt in praesenti supponimus nullam esse, non est cur illa receptio sit in se absolute inualida, sed tantum sub praedicta conditione. Atque hic applicari possunt ferè omnia dicta in precedenti puncto. Solum potest in hoc casu non nullam facere difficultatem, quod iste, qui hoc

Pr. Suarez de statu relig. tom. 3.

modo ingreditur secundam religionem, est apostata, & excommunicatur. Sed in primis illa non censetur proprie apostasia, nec iure communi culpa illa habet excommunicationem ipso facto annexam. Deinde quidquid sit de specie culpae, illa per se non impedit valorem facti, de censura verò statim dicam.

Quartum impedimentum Episcopalis dignitatis.

Quartum impedimentum huic fere simile est Episcopalis dignitas iuxta cap. lices, de Regular. quod non simpliciter prohibet Episcopo hunc ingressum, sed sine licentia Papae, & praecipue loquitur de ipso statu religionis, atque adeo de ingressu per professionem. Dubitari autem potest an professio facta ab Episcopo sine tali licentia sit nulla, quod postea tractabimus. Supponendo autem nunc talem professionem nullam esse, consequenter dicendum est talem personam esse inhabilem ad ingressum non simpliciter, sed sub tali conditione, quod si absque illa ingressus fiat, censetur nullus non omnino, & absolute, sed quando illa conditio requisita obtenta non fuerit. Eodem modo, atque eadem ratione ac explicatione, qua in superioribus punctis, simile dictum est. Dubitari autem potest, an idem sentiendum sit de inferioribus praelatis, seu rectoribus Ecclesiarum respectu Episcoporum. Respondendum est autem negatiue; quia nullum habent vinculum, quod ex natura rei dimittere non possint, propter maiorem perfectionem; neque etiam iure aliquo humano sunt prohibiti; de qua videri possunt supra dicta libro primo. Et videri potest D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 7. Panor. in cap. quod Dei iurarem, de statu Monach. Sylu. verbo, Religio 2. n. 8. Angel. n. 12.

Quintum impedimentum seruitutis.

Quintum impedimentum numerari solet seruitus, sed, vt infra dicam, haec non est conditio irritans professionem etiam sine licentia domini facta, & ideo numerari non potest inter impedimenta irritantia ingressum, quamuis illum reddat illicitum: & ideo censo de impedimento cuiuscunque debiti, vel obligationis civilis, aut naturalis, secluso quodam speciali iure Sixti V. de quo dicam cap. 7. Igitur praeter impedimenta posita nullum aliud inuenio, quod possit aliquo modo dici irritare ingressum, seu receptionem in religione. Ex quibus etiam intelligere licet, vnicum esse impedimentum quod absolute & simpliciter reddat personam inhabilem ad hunc ingressum, ita vt omnino absolute irritet illum, quod significauit Sylu. verbo, Religio 5. n. 1. dicens quemlibet puberem ratione vtentem esse capacem nouitatus: inde enim sequitur supposita sufficienti aetate, de qua in primo capite dictum est, solam carentiam vultus rationis reddere personam simpliciter inhabilem ad hunc ingressum. Quod etiam quantum ad negatiuam partem exclusiuae, confirmari potest ex his, quae diximus de aliis impedimentis: nullum enim illorum reddit personam simpliciter incapacem, nec irritat actum simpliciter, secundum quid, id est, quando non ponitur talis conditio, vt explicauimus. Haec autem procedunt considerando impedimenta, quae vel ex natura rei inesse possunt, quale nullum inuenio praeter defectum rationis, vel iure communi & ordinario introducta inueniuntur. Quod aduerto tamen propter ius illud latum à Sixto V. circa illegitimos, vel debitis aut rationibus reddendis obligatos. Quod quantum ad illegitimos iam sublatum est, & ideo de hoc impedimento nullam rationem fecimus: quantum verò ad alios infra declarabitur. Tamen etiam hoc aduerto propter particularia iura religionum, quae in vnaquaque consideranda sunt, & seruanda; in aliis quibus enim conditio generis ex origine Iudaeorum

14. Dignitas Episcopalis impedit eum, sed non inualidat ingressum religionis, dummodo obtineatur licentia à Papa.

15. Seruitus non est impedimentum irritans religionis in ingressum, sed reddens illicitum.

Sola carentia vultus rationis irritat ingressum, sed non simpliciter, nisi in defectu rationis.

Observari debent impedimenta particularia cuiuslibet aut det relig.



aut paganorum est impedimentum irritans: in aliis defectus natalium, seu esse legitime natum: in aliis grauis infamia, vel iuris, vel notorii facti, maxime si proueniat ex lapsu circa fidem, vel proprio, vel progenitorum ad forum contentiosum delato, & in illo publice punito: aliquando etiam irregularitas homicidii voluntarii, vel aliud simile.

16. *Notandum circa formam qua impeditur mentis ponatur.*

Circa has autem constitutiones duo obseruanda sunt. Primum est generale, an scilicet verba illarum constitutionum sint tantum prohibentia, vel etiam irritantia: nam si solum prohibeant, ex vi sua non reddunt factum irritum, nisi aliunde vel ex usu & praxi religionis, vel ex aliis circumstantiis talium constitutionum constet hanc esse legis intentionem. Si autem constitutio est irritans, tunc est secundo considerandum, an talis irritatio cadat immediate in sola professionem, vel etiam in receptionem directam, & immediate, quando enim sit priori modo, licet professio facta a tali persona inhabili sit simpliciter nulla, receptio nihilominus non ita absolute nulla est, sed solum sub conditione, si conditio inhabilitans ablata non fuerit, vt in similibus explicatum est. Vt, v.g. si constitutio religionis dicat: Prohibemus aliquem recipi ab Hebraeis ducentem originem, & professio ab illo facta nulla sit, & contingat aliquem ex eo genere recipi; postea vero ante professionem dispensationem obtineat, non oportebit illum nouitatum inchoare, sed factum valebit ex vi prioris receptionis, quia non sit simpliciter nulla, sed tantum sub predicta conditione. At vero si irritatio directe & immediate in ipsam receptionem cadat, tunc non sufficit predicta dispensatio, quominus necesse sit denuo recipi, & nouitatum inchoare, nisi etiam de hoc ipso specialis dispensatio habeatur, quam solus Papa possit concedere, quia solus ipse potest dispensare, vt sine integro probationis anno valida professio fiat.

*Alia impedimenta alterius generis assignantur.*

17. *Multa dicuntur impedimenta, ne receptio facta non teneat. Hanc assertio communis est Doctorum in hac materia, potestque generali ratione suaderi, quia in aliis actionibus humanis non omnia, quae prohibent fieri aliquid, illud reddunt irritum, si fiat, vt patet in matrimonio, in ordinatione clerici, & in professione ipsa, idem infra ostendetur: ergo idem erit in presenti. Ad quam etiam confirmandam multa sumi possunt ex dictis in puncto praecedenti. Denique potest ita declarari: nam haec impedimenta citari possunt, vel ex naturali iure, vel ex Ecclesiastico communi, vel ex proprio iure singularis religionis. De hoc ultimo iure manifestum est plures conditiones requiri in religione in persona recipienda, quae non sunt de valore receptionis, sed solum eo spectant, vt praeter religionis suo munere fungatur debito modo; vt, v.g. quod sit corpore sanus, vel ingenio valens, & similia; quae magis in particulari inferiori tractabimus de religione Societatis in specie. Itaque quoad hoc ius solum oportet verba eius expendere modo superius dicto.*

Tandem dicendum est, multa esse quibus homo impeditur ne possit licite ingredi religionem, quamuis per ea non reddatur simpliciter inhabilis, ita vt receptio facta non teneat. Hanc assertio communis est Doctorum in hac materia, potestque generali ratione suaderi, quia in aliis actionibus humanis non omnia, quae prohibent fieri aliquid, illud reddunt irritum, si fiat, vt patet in matrimonio, in ordinatione clerici, & in professione ipsa, idem infra ostendetur: ergo idem erit in presenti. Ad quam etiam confirmandam multa sumi possunt ex dictis in puncto praecedenti. Denique potest ita declarari: nam haec impedimenta citari possunt, vel ex naturali iure, vel ex Ecclesiastico communi, vel ex proprio iure singularis religionis. De hoc ultimo iure manifestum est plures conditiones requiri in religione in persona recipienda, quae non sunt de valore receptionis, sed solum eo spectant, vt praeter religionis suo munere fungatur debito modo; vt, v.g. quod sit corpore sanus, vel ingenio valens, & similia; quae magis in particulari inferiori tractabimus de religione Societatis in specie. Itaque quoad hoc ius solum oportet verba eius expendere modo superius dicto.

18.

De iure autem canonico praeter ea quae dicimus infra de modo receptionis, & de motu proprio Sixti V. non inuenio aliquam conditionem hoc speciali modo requisitam iure communi in persona ingressura religionem, praeter eas, quae iure naturae necessariae sunt. Dices ex generali regula & per quandam consecutionem necessarium esse vt talis persona non sit affecta Ecclesiastica censura. Respondeo si sit sermo de necessitate praeccepti, ad summum esse verum

*Obiatio. Dicitur.*

de excommunicatione maiori: aliae enim per se non impediunt, quia neque in sua formali priuatione (vt sic dicam) continent talem prohibitionem, nec specialiter aliquo decreto lata inuenitur: solum ergo possunt aliquando esse signa quod persona indigna sit vt ad talem statum recipiatur, quod iam pertinet ad naturale ius, & pendet ex coniectura, quam prudenter expendere necesse est. At vero excommunicatio maior priuat omni communicatione, praesertim spirituali, hic autem ingressus fieri non potest sine magna communicatione spirituali; & ideo dubium non est quin excommunicatus priusquam absoluitur, neque ingredi possit religionem, neque in ea recipi sine graui peccato. Si vero sit sermo de impedimento irritante, nego vllam censuram etiam maiorem excommunicationem huiusmodi esse, quia nec professionem irritat, vt infra ostendam: ergo multo minus receptionem, quia neque est proprie contractus, neque aliquo speciali, aut generali iure irritatur.

*Excommunicatio maior impedit ingressum religionis.*

19.

In primo ordine naturalis iuris multa similia impedimenta interuenire possunt; etiam tamen praecipua occurrunt. Vnum est, si quis ingrediatur religionem, sciens ac prudens se esse ineptum ad labores, vel opera illius religionis, vt si habeat agilitatem occultam, vel quid simile. Secundum est, si ingrediatur contra debitum pietatis, vt quia habet parentes aut filios in graui necessitate constitutos, quibus subuenire posset, & deberet. Tertium est, esse obnoxium debitis, seu rationibus reddendis. De primo nil speciale occurrit dicendum, quia ad praxim illius solum est necessaria prudentia, qua expendatur quanta sit personae ineptitudo, vel improportio ad obseruandam perfectionem religionis, praecipue castitatem & obedientiam, & principales ritus religionis, vel etiam corporales eius labores sustinendos, si talis sit personae status vt ad usum eorum recipiatur. In hoc autem genere maxime peccatur, quando tacendo talia impedimenta occultantur. Nam si ingressurus totam suam dispositionem religioni manifestat, & volutarie a religione recipiatur, ingrediendo non peccabit, sperans non plus ab eo fore postulandum, quam possit. Quod habet locum quando ex tali impedimento non sequitur aliquod morale periculum peccati; nam, si hoc interueniat, non sufficit voluntarius consensus religionis, vt licitus sit ingressus, vt, v.g. si experimento constaret aliquem esse omnino ineptum, ad seruandam castitatem, iuxta illud 1. Cor. 7. *Melius est nubere, quam viri.* Et sic de aliis. Alia vero duo impedimenta accuratiori indigent declaratione.

*Qui impeditur religio, non potest ingredi religionem.*

CAPVT V.

*Virum propter necessitatem parentum teneatur quis non ingredi religionem.*

TRACTABIMUS prius questionem hanc de filiis respectu parentum, vbi etiam extendemus sermone ad alios ascendentes. Deinde de parentibus respectu filiorum, & consequenter aliorum descendentium. Ac tandem de fratribus inter se; vnde a fortiori constabit quid de aliis consanguineis dicendum sit. Circa primum ergo punctum ratio difficultatis est, quia nemo tenetur diligere proximum quantum sibi coniunctum in ordine ad temporalia, vel corporalia bona plusquam se in spiritualibus. sed haec obligatio ad parentes ad summum potest esse ex charitate: ergo non obligat eum praedicta appetitione seu comparatione: ergo non obligat filium vt propter temporale, & corporale commodum vt propter temporale proprium spirituale amittat. Nec satisfacet quod dicitur hoc bonum spirituale non esse simpliciter necessarium, sed ad

*Ratio difficultatis proponitur.*